

ejus rei documentum antea ineditum nobis exhibet, literas videlicet Felicii Papæ ejus nominis IV. Aliundane validiora haberi possunt argumenta, quibus & falsa evincantur tradita de Metropolitana Ravennatis juris initiis, & iniquam prorsus Mauri Schismatici tentatam Imperatoris, & Exarchæ ope, *αὐτοκρατορίας*? Agnellus proinde è tenebris vindicandus erat, ob id maximè quod quæ cum falso tradita fuissent à Recentioribus adoptata ipso laudato, sed deperdito, alicujus momenti habebantur; sed & ob ea, quæ non spernendo veritatis, & historia bono, cum præjudicata opinione haud ducitur, pluribus in locis habet, ac demum etiam ob ea, quæ non habet, sed magno verborum apparatu à Recentioribus orbi obtruduntur.

VIII. Porro si veritatem amamus, licet barbarus, rerum, & temporum ignarus, ac indiligens sit Agnellus, negari tamen nequit plura ex ejus opere nancisci licere, quæ sacram, profanamque historiam juvent. Omitto in superioribus laudata, quæ hominem schismaticum, & Romani sanctissimi Juris impatientem dixisse, prodigio simile est; dixit tamen quamvis partibus studens, & magno veritatis bono dixit. Verùm in plerisque, quæ nullo modo odorem, quo testa imbuebatur, sapiebant, cur fides ei non adhibeatur, & si adhibeatur, cur non utile, quod penè deperditum opus edatur? Si quid in Chronologia Ravennarum Pontificum, quam Dissertationibus ornare conatus sum, boni adinvenis, si quid tibi probabitur, erudite Lector, faciem prætulit Agnellus, antiquis dypticis perspectis, Inscriptionibus descriptis, Basilicarum musæis relatis, digestis etiam, quamvis absque delectu, quæ sibi Seniores retulerant. Antistitum Ravennatum sanctitatem, eorum præcipuè, quos publicis votis Catholica veneratur Ecclesia, primus omnium laudavit, effecitque ut eorundem acta nosceremus, quæ aliàs perissent, in primis verò Sanctorum Apollinaris, & Severi, quos qui ex Posteris encomiis venerati sunt, Agnellum præceptorem habuisse, nullus inficias ibit. Edes sacras, & eorum ornatus descripsit, docuitque, quis auctor, quando primùm constructæ, quibus expensis; emblemata quoque, & epigraphas sæpius verbatim edidit, quæ aliàs ignoravimus; veterem etiam sacrorum rituum, & liturgica plurima sui, & præcedentium temporum, nobis ferè ignota servavit. Novimus, ut nunnulla singillatim attingam, D. Petri Chrysologi versus in Oratorio S. Andreae positos, qui auricularis Exomologesis praxim probent; novimus integram ejusdem S. Præfatis Epistolam ad Euthychetem datam, quam in recentioribus Vaticanæ Bibliothecæ Codicibus duobus, decurtatam vidit Gerhardus Vossius, unde recentiores Critici ansam accepere, postrema verba Romani Pontificis definitæ infallibilitatem adstruente, tamquam recenti mangonio adjecta, accusandi; novimus Cleri Ravennatis formam tum ex Felicio IV. prælaudatis literis, tum sæpius alibi, & reddituum distribuendorum rationem, nec non insigniorum Clericorum officia, & munera. Hæc, & plura alia ex Agnello novimus, quæ licet absque ordine, ineptèque tradita sint, non ideo apud cordatos viros vili loco haberi debent. Absit à literariæ rei cultoribus, ut vetera sequioris ævi documenta respuant, quod minimè ad crisis, & grammaticæ leges conscripta sint, vel quod haud cautum Scriptorem habuerint. Desistuemur, si delicatuli adeo sumus, plurium notitiarum lucro, quo usque in præsens ditati sumus tot SS. Actis, & Miscellaneorum, Analektorum, Bibliothecarum, & Antiquarum libellorum editis per doctissimos Viros, voluminibus. Sed omnino melius est etiam in-

A mendatis auctoribus frui, quàm penitus carere, verissimè inquit Fabrotius in Præfatione ad amplissimam Anastasi Bibliothecarii editionem.

IX. Satis, ut puto, momenta rationum deduxi, quibus Agnellum non modò posse, sed debere à me edi existimavi. Nunc ergo tandem nonnulla de libri Auctore, præter jam dicta, præmittenda esse censeo. Is itaque duplici nomine vocatur. Agnelli videlicet, & Andrea. S. Felicii Episcopi vitam scribens aliqua de Patris, Matrisque suæ gente, nos docet, sequè Ravennæ honesto loco natum ostendit. In Ursiana Ecclesiæ gremio à teneris annis nutritum alibi se dicit, Petronacis ævo inter Ravennates Presbyteros decimo loco sedit, & Abbas adhuc adolescens fuit S. Mariæ ad Blachernas, & S. Bartholomæi. Errant itaque, qui hunc cum Agnello Archiepiscopo postremis Justiniani annis florente, confundunt. Errat magni nominis Scriptor Gerhardus Joannes Vossius, cum de Historicis latinis lib. III. cap. IV. hæc habet; Andreas Agnellus temporibus Ludovici Pii Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopus fuit, ordine in ea fede decimus, virtute præstantissimus, atque acri in omnibus rebus ingenio præditus, ut de eo Hieronymus Rubens lib. v. Historiæ Ravennatis tradidit. Haud mirum Vossium à Rubeo deceptum in his, quæ ad Agnelli ingentum spectant; mirum quomodo Clarissim. Vir ex Rubeo, cui nullibi id dictum, exculsit, Agnellum Ravennæ Archiepiscopum temporibus Ludovici Pii, & qua numerandi ratione eundem decimo loco sedisse dixerit, cum ad ea tempora ex Rubeo ipso constat Ravennates Episcopos quadraginta quinque ad minus præcessisse. Rubens Agnellum in ordine Sedis suæ Sacerdotem decimum, non Archiepiscopum dixit. Quæ apud Vossium sequuntur, hæc sunt; Mentionem, inquit, ejus quoque semel, iterumque facit lib. 2. uti & 3., ac Johannes Petrus Ferretus ad verbum eum exhibere amat, ut idem auctor est. Meminit & Baronius tom. 9. ad annum 824. sed ex Rubeo, quod indicio est, ne in Vaticana quidem Bibliotheca superesse. His addendum, quod supra indicavi, extitisse Agnelli Codicem Blondi ætate, eo enim utitur Dec. 1. lib. 3. lib. 4. lib. 7. lib. 8. & lib. 10. Dec. 2. lib. 2., & alibi.

D X. Ecclesia S. Mariæ ad Blachernas extra Ravennæ Pomærium fuit eo loci, ubi cum Palatium non admodum ingens Odoacris Regis excitisset, Palatioli vocabulum, usque in recentiora tempora perduravit. Ex veteris illius Palatii ruderibus materias naclius est Agnellus, quibus domum Ravennæ sibi edificavit in fundo paterno. S. Maria de Palatiolo seculo decimo fuit juris Abbatis, & inclyti Monasterii S. Pauli de Urbe, ut ex insigni tabulario ejusdem Cænobii constat. Nunc omnia in ruinis intra Pinetum, quod Monachorum nostrorum S. Vitalis juris est. De alera S. Bartholomæi Ecclesia, cujus Agnellus idem Abbas fuit, videatur Faber, ex quo duplicem sub ejusdem Sancti nomine fuisse, quarum una intra, altera extra urbem extiterit, observavit Lubinus in Notitia Abbatiarum Italiæ. Agnellum Abbatem S. Bartholomæi extra Ravennam, plura Pontificalis libri loca evincunt.

E XI. Quid ipse Agnellum editurus mihi præstantum censuerim, ex dictis facile intelligere potes erudite Lector. Eo animo comparatus rem aggressus sum, quo solers venator prædæ avidus lustra, dumosque ingredi pergit, sociisque viam, quæ rudo, & jucundè sequuntur, aperit. Frequenter indicanda fuere, ut evitarentur, loca periculo plena, quorum tamen insigniora aperta adeo, nullisque dumis obsta erant, ut & cæcus ab ipsis se